

rum diversam in administrandis Sacramentis caeremoniarum praxim adhiberi, quippe Rituali romano, jussu s. m. Pauli PP. V. novissime edito, non omnes Ecclesiarum Rectores utantur. Sacra igitur Congregatio ad Nuntium Hispaniarum dirigi literas imperavit, quibus vigili ejus curae commendetur, ut Rituale praedictum ab omnibus recipiatur et observetur.

S. R. C. 1655.

Tenor hujus rescripti est:

Nuntio Hispaniarum.

Emis PP. S. Rituum Congregationi praepositis renunciatum est, diversam in Hispaniarum regnis administrandorum Sacramentorum praxim servari ex eo quod non omnes Ecclesiarum Rectores observantiam moderni Ritualis romani a s. m. Paulo V. editi adhuc assumpserint, idque praesertim cum tam religiosarum gentium scandalosa admiratione accidere, ut quandoque in eadem Ecclesia, in eodem Sacramento administrando, ex Rectoribus quis Ritualis antiqui alter Ritualis moderni caeremonias adhibeat. Sacra autem Congregatio, praecipua probataque Hispani Cleri erga s. Sedis apost. romanaeque Ecclesiae ordinationes religione plurimum confisa, id quidem tantummodo ad uniformitatem Ritus in re tam gravi isthic inducendam perneceesse putavit, ut Amplitudo Tua sedula curet, ne moderni Ritualis codicibus bibliopolae careant, ac in Domino singulos Rectores admoneat, ne Ritus ab apostolica Sede novissime probatos debita veneratione fraudari consentiant, imo ea singulari devotione, qua caeteras rom. Ecclesiae sanctiones iidem venerantur, hasce Ritualis caeremonias amplectantur et postea indiscriminatum et inconcusse retineant.

Romae die 9. Octbr. 1655.

Illud monendum videtur, eos, qui scriptores de ecclesiastica disciplina

sacrisque Ritibus percurrunt nec Pontificum Constitutiones et Decreta super iisdem rebus antea cognoverunt, cum illis merito conferri posse, qui libros de moribus et christiana lege tractantes assiduo manibus terunt, nec antea sententias a summis Pontificibus proscriptas menti demandarunt. Ambo sane in apertissimos errores labuntur, dum lectionibus ejusmodi detinentur.

Instit. 38. Bened. XIV. vers. finem.

Limburgen.

Rme Domine uti Frater.

Inter dubia ab Amplitudine Tua huic S. R. Congregationi proposita nonnulla sunt, in quibus agitur de certis, quae ab antiqua aetate non in ista solum Limburgensi dioecesi sed in universa ferme Germania invaluerunt, consuetudinibus relate ad cultum erga sanctissimae Eucharistiae Sacramentum. Consuetudines istiusmodi haec S. Congregatio perpendens, quum Rubricis et Decretis generalibus contrarias esse viderit et a praxi s. rom. Ecclesiae prorsus alienas, approbari haud posse censuit. Dum autem ita definivit, ejus mens minime fuit, ut contra abusus adeo generales et inveteratos Amplitudo Tua insurgere statim debeat, omnique vi adniti, ut incunctanter eradicentur. Ex hac enim praecipiti agendi ratione turbatae ac dissensiones oriri facile possent et fideles graviter offendi, eo vel magis quod suspicari liceat, praedictos abusus non aliunde originem traxisse quam ex laudabili Catholicorum desiderio, realem Christi Domini praesentiam in Eucharistiae Sacramento palam aperteque contra haereticos secum commorantes profitendi. Id unum itaque S. Congregatio sibi proposuit in dubiis, de quibus sermo est, declarandis, ut Amplitudo Tua, regula prae oculis habita, de abusibus in sua dioecesi vigentibus tutum ferre possit iudicium. Regulae

autem applicationem quod attinet, Sacra Congregatio supervacaneum ducit, Amplitudinem Tuam, cujus prudentiam optime novit, adhortari, ut in corrigendis abusus procedat cum omni patientia et doctrina, et juxta datam sibi opportunitatem ita illos eliminare satagat, ut nullum inde fideles scandalum patiantur.

Haec pro meo munere Amplitudini Tuae communicans, ut ipsa diu felix et incolumis vivat, ex animo adprecor.

Romae die 9. Maii 1857.

Amplitudinis Tuae uti Frater C. Episcopus Albanen. Card. Patrizi S. R. C. Praef. H. Capalti S. R. C. Secret.

Ex decretis Concilii Coloniensis.

17. Maii 1860.

Sequendus semper est Ritus ab Ecclesia praescriptus et sancitus, qui in libris ritualibus reperitur. Parochis et Rectoribus prohibemus strenue, ne in Sacramentis administrandis pro lingua latina utantur vernacula, nisi in illis partibus, quibus illi, qui assistunt, alloquendi aut quaedam iisdem explicanda sunt... (Part. II. tit. II. cap. X. De Sacramentorum administratione generatim.)

Ex decretis Concilii Pragensis.

23. Septbr. 1860.

Quum romanus Pontifex suam juris dicendi potestatem, quam in universam Ecclesiam jure divino tenet, plurimum per sacras Cardinalium Congregationes exserat, Synodus praesens distincte praecipit, ut decisiones et decreta, quae a Sacris istis Congregationibus pro Urbe et Orbe, pro dioecesibus ditionis Austriae aut pro hac provincia vel singulis ejusdem dioecesibus edentur, congruo modo ad cognitionem Cleri proferantur et secundum tenorem et vim aut universalem aut particularem religiose observentur. Eadem sollicitudo postulat omnino, ut etiam antiquiores interdum

hujusmodi decisiones de rebus gravioribus prolatae Clero innotescant, illae praesertim, quarum tenore et auctoritate praxis erronea, sicubi irrepserit, mox corrigi et disciplinae ecclesiasticae adamussim conformari possit. (Tit. VI. cap. I.)

Episcopi non tantum omnia ad personas et res ecclesiasticas pertinentia secundum Ecclesiae doctrinam et disciplinam a Sede apost. adprobata dirigunt et administrabunt, ut Constitutiones romani Pontificis et Decreta a Sacris Congregationibus seu edita seu edenda Clericis innotescant et in singulis hujus provinciae Ecclesiis, prout sanctae Sedi placuerit, executioni mandentur. (Tit. I. cap. II. num. 2.)

Cum sacri Ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia ex apost. traditione et avita disciplina in Sacramentorum administratione divinisque officiis utitur, magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem rustollant et devotionis etiam igne inflamment, gravi profecto peccato conscientiam suam macularet sacerdos, qui receptos et approbatos Ecclesiae Ritus notabiliter negligeret, pro libito omitteret et in novos immutaret. Habet praepriis Sacrificium Missae multos eosque maxime insignes et solemnes Ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis existimandus est, sed omnes eo spectant, ut et tanti Sacrificii majestas magis eluceat et ad rerum divinarum, quae in eo Sacrificio occultatae sunt, contemplationem fideles excitentur. Quare omnibus sacerdotibus graviter injungimus, ut ordinem, ritum et caeremonias, prout in Missali secundum usum sanctae rom. Ecclesiae describuntur, in Missis tum privatis tum solemnibus sedulo pieque custodiant, eo magis, quum in faciendis Ritibus unitas eademque ubi-

que locorum observantia ad promovendam fidelium aedificationem plurimum conferre dignoscatur. Abusus qui fors sub nomine consuetudinum aut observantiarum praeter et contra Missale romanum in hac provincia irrepserint, etiamsi longa praeteritorum annorum serie quasi stabiliti videantur, tum quoad cantum praesenti decreto de medio tollimus et abrogamus. Ne quid autem in tanto mysterio celebrando per incuriam vel ignorantiam admittatur, quod cultui Dei contumeliam adferre possit, omnes sacerdotes paterne monemus, ut rubricas Missalis saltem semel per annum cum industria perlegant simulque decreta per S. R. Congregationem publicata adamussim observent et ab eorum praescriptis nullo praetextu discedere audeant. Ut recentiora hujus Sac. Congregationis decreta quantocius Clero innotescant, Episcopi providebunt. (Tit. III. cap. I. num. 1.)

Ut Ritus (in Sacramentorum administratione), quos antiquus provinciae hujus usus tenet et quos temporum indigentiae exoptant, obtenta eorum a Sede apost. approbatione, in unum compendium redigantur, parabitur nova Ritualis romani editio, Ritibus hisce locupletata. (Tit. IV. cap. I. De Sacramentis in genere.)

Nemo aut majoris aedificationis et uberioris Sacramentorum fructus obtentu aut sub quocumque alio praetextu a lingua Ritualis declinare, eamque cum vernacula commutare praesumat.

Innocentius PP. III.

VV. Fratibus universis Archiepiscopis, Episcopis et aliis Ecclesiarum praelatis per regnum Franciae constitutis salutem et apostolicam benedictionem.

Multifarie multisque modis clementia divina nos excitat, ut de somno mortis evigilemus ad vitam et de lacu

miseriae in spem aeternae gloriae respiremus. Exultamus siquidem et merito exultare debet omnis sanctorum Ecclesia, quod visitans visitavit nos Oriens ex alto, ut magna pars Orientalis Ecclesiae, Graeca videlicet pene tota, quae a longissimis retro temporibus matris suae sanctae rom. Ecclesiae contempserat imitari vestigia, nostris temporibus facta sit de obediens obediens et de contemptrice devota. Ad majorem etiam accedit affluentiam gaudiorum, quod vir christianissimus charissimus in Christo filius noster Balduinus imperator Constantinopolitanus illustris ad ea totis viribus satagit et intendit, per quae possit et debeat christiana religio propagari, et ut aedificium jam ex magna parte constructum non corruat, ardenti laborat sudio et sollicitudine diligenti. Nuper siquidem devotionem suo plantatam in pectore in ramos bonae operationis diffundens nobis humiliter supplicavit, ut viros religiosos et providos de ordine Cisterciensium Cluniacensium. Canonicorum regularium aliarumque religionum ad fundandam fidei catholicae veritatem perpetuoque firmandam ad partes Constantinopolitanas faceremus transmitti, et, ut illuc valeant pervenire, a suis praelatis in necessariis provideri. Postulavit etiam ut Missalia, Breviaria caeterosque libros, in quibus officium ecclesiasticum secundum instituta sanctae rom. Ecclesiae continetur, saltem pro exemplaribus ad partes illas faceremus transmitti. Volentes igitur imperatorem eundem tanto benignius in suis petitionibus exaudire, quanto majorem in majoribus frequenter sumus ejus fidei sinceritatem experti, universitatem vestram rogamus attente et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus pium ejus desiderium, quantum in vobis fuerit, promoventes, de singulis ordinibus viros moribus et

scientia commendandos ac in religione ferventes ad partes illas destinare curetis, per quos novella illa plantatio in disciplina Domini erudita fructum reddat suis temporibus opportunum et quod in eis mirabiliter est inceptum, ad laudem et gloriam Redemptoris mirabilius consummetur. Mentionatos quoque libros, quibus non solum abundare sed superabundare vos novimus, ad partes illas saltem pro exemplaribus mittere procuretis, ut et vestra abundantia illorum inopiam suppleat et Orientalis Ecclesia in divinis laudibus ab Occidentali non dissonet, sed, sicut est unus Deus et fides una, ita uno ore ipsum laudet et glorificet oriens et occasus.

Datum Romae apud s. Petrum die 8. Calendas Junii 1205.

(Bull. r. t. III. p. 195. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Benedictus PP. XIV.

VV. Ffr. Episcopis regni Serviae.

De sac. Ritibus, in quibus istarum regionum Ecclesiae, romanam hanc, reliquarum omnium matrem et magistram, in speculum sibi et exemplum proponentes, non alio quam romano Missali, Rituali ac Caeremoniali uti perhibentur, hortamur VV. Ffr. Archiepiscopos et Episcopos, ut nihil in hujusmodi tuta ac laudabili consuetudine immutari et tam in Sacrorum celebratione et Sacramentorum administratione quam in benedictionibus et exorcismis, non aliis quibuscumque aliunde petitis Ritibus caeremoniis et precationibus, quocumque praetextu aditum reserati permittant.

Videant autem, ne forte inanes aut leves timendi causae illae sint, quae passim afferuntur, pro omittendis in Baptismatis administrationes caeremoniis a Rituali rom. praescriptis, quas etiam, quum ex veris gravibusque causis praetermitti contingat, primo quo-

que tempore suppleri curabunt. Neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis tantaque antiquitatis Ritus atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii.

Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis justique timoris ab Infidelibus incussi, communis et naturalis aqua vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae juxta praescriptum Ritualis romani. Vix enim sine maxima incuria vel inani timore (juxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in Ecclesiis parochialibus, ubi illae existunt, baptismales fontes, statutis temporibus et Ritibus non benedicantur aut sacrorum oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

Die 2. Febr. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. pag. 305. §. 18—20.)

SS. D. N. Pius PP. IX. clementer deferens supplicibus votis superioris generalis „d'une Congregation religieuse“ a subscripto Secretario S. R. C. relatis indulget, ut in omnibus et singulis capellis, oratoriis seu ecclesiis ejusdem Congregationis in Gallia usus rom. liturgiae assumatur, facta potestate eorum fratrum capellanis, quoties agatur de dioecibus romana liturgia nondum utentibus, et donec eadem non fuerit ibidem redintegrata, sese conformandi tum quoad divini officii recitationem tum quoad missarum celebrationem calendario cleri saecularis urbis, dummodo iidem capellani rubricas servant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 19. Maii 1859.

C. Ep. Alban. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. Hannib. Capalti S. R. C. Secr. Jos. Starna subst.

(Anal. J. P. 1860 p. 1772.)

Eminentissime et Reverendissime Domine, Domine observantissime.

Dum Sanctissimus Dominus noster Pius PP. IX. resciret et probaret Eminentiam vestram in capitulari conventu habito die 11. Nov. anni mox elapsi delegisse commissionem ad efformandum, juxta regulas liturgicas sanctae romanae Ecclesiae, proprium sanctorum istius Lugdunensis dioecesis, in usum directorum seminarii s. Sulpitii, Capellanorum Ecclesiarum parochialium aliorumque Ecclesiasticorum etiam Communitatum, qui intra fines dioecesis ipsius horas canonicas jam recitant vel recitare desiderant juxta Breviarium rom., non sine admiratione vidit contra saluberrimum consilium istud reclamasse parochos Lugdunenses numero plures, qui agmine veluti facto nec servata canonum disciplina, subscripserunt epistolae circulari transmissae directori seminarii s. Sulpitii, Canonicis ab Eminentia vestra dilectis ad concinnandum hoc proprium caeterisque Capitularibus. Haec porro inconsiderata circularis, praeter censuram mandatorum proprii ordinarii, cui in sacra ordinatione reverentiam pariter et obedientiam professi sunt, nullo sub respectu conformis dici potest voluntati ejusdem Summi Pontificis, qui ab anno 1854 literis datis ad Eminentiam vestram, apertissime declaravit Breviarium et Missale Lugdunense a legitima auctoritate minime prodire ac proinde omnino immutanda. Quodsi deinceps Sanctitas Sua ea adhuc adhiberi permisit, veniam istam intra simplicis temporanae tolerantiae limites circumscripsit, nec unquam voluit eam esse perpetuam, veluti arbitrantur reclamantes parochi, imo amantissimis verbis et Eminentiam vestram et quos alloqui potuit de clero Lugdunensi opportune cohortari non destitit ad assumptionem liturgiae romanae, ut sic plenius praestarent obsequium ro-

manaee Ecclesiae, matri et magistrae veritatis. Hisce praenotatis, pro mei muneris ratione, oro obtestorque Eminentiam vestram, ut inceptum opus quam celerrime ad optatissimum finem deducat, nulla habita ratione questuum illorum, quos sperare licet jam facti poenituisse, et modo cum reliquo spectabili et multis nominibus commendabili clero Lugdunensi felici aemulatione adlaboraturos ut ulteriore quacumque difficultate remota quantocius in dioecesi etiam Lugdunensi in sua integritate inducatur et constabiliatur liturgia sanctae romanae Ecclesiae.

Interim Eminentiae vestrae manus humillime deosculor.

Eminentiae vestrae humillime demississimus servus verus.

C. Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis Patrici, S. R. C. Praefectus.

Romae die 23. Jan. 1863.

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

(Anal. J. P. 1863 p. 2200.)

Cenomanen.

Quas s. Pius edidit Bullas, quae Breviarium Missaleque romanum respiciunt, illas de anno 1583 cum omni laude, reverentia et gaudio excepit Concilium provinciae Turonensis ac proinde Cenomanensis episcopalis Ecclesia, quae provinciae ipsius limitibus concluditur, quae etsi speciali tunc ritu a duobus saeculis uteretur, attamen ritus iste adeo erat romanus ut vix pro vigesima parte proprium mere Cenomanense intermiseretur. In eodem siquidem sibimetipsi constans nec ullo modo s. Pio V. contraria studiosius perstitit Cenomanensis Ecclesia spatio 150 annorum, nimirum usque ad annum 1748 aut 1749, in quo auctore tunc temporis Episcopo et consentiente Capitulo, sed prorsus ap. Sede inconsulta, novum conditum

fuit breviarium novumque Missale. Alia tunc facta est Psalmorum distributio, alia ratio lectionum, tum de Sacra Scriptura tum de Sanctis. Aliae antiphonae, alia responsoria, alii hymni, aliae rubricae et caeremoniae. Insuper de Calendario quamplures expuncti sunt Sancti, ut novi in eorum locum sufficerentur. Quum itaque nova pene omnia illis in Breviario et Missali appareant, de veteri Ritu romano Cenomanensi vix in praesentiarum vigesima pars extat. Si itaque locorum Ordinarii prohibentur, etiam in iis Breviariis, quae juxta mentem s. Pii Pontificis tolerata tantum fuere, uti antiquum Cenomanense, aliquid propria auctoritate addere aut aliquid demere sub interminatis poenis in decretis Sacrorum Rituum Congr. dierum 8. Aprilis et 28. Octobris 1628 de non satisfaciendo muneri Divini Officii recitandi, inde clare concluditur quantum a praefinitis legibus aberret Breviarium Missaleque Cenomanense editum medio saeculo decimo octavo, in quo tam graves immutationes factae sunt, ut a Romano aequae ac ab antiquo Cenomanensi recedat. Quae singula inter caeteros R. J. F. Lottin Canonicus Cathedralis Cenomanen. Ecclesiae sedulo commemorans Sacram hanc Rituum Congr. humillimis precibus adire constituit eique sequentia dubia proponere pro opportuna solutione nimirum:

I. Utrum licita fuerit annis 1748 et 1749 innovatis Breviarii Missalisque Cenomanensium a Ritu romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam romanam correctis Breviario et Missali, sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate et inconsulta Sede Apostolica facta aut probata?

II. Quatenus negative: Utrum saltem hujusmodi liturgia vi praescriptionis

seu consuetudinis saecularis facta sit legitima, ita ut hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?

III. Quatenus iterum negative, an quilibet Sacerdos Cenomanensis, etiam Canonicus aut parochus statim teneatur in conscientia tum et horas canonicas persolvere Missamque celebrare juxta Ritus rom., quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus quibus potest modis, Rmo Episcopo supplicare, quatenus et id ipsum pro divino Officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur.

IV. Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario et Missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum ita videlicet ut praeceptivas praedictorum librorum regulas, tolerante nempe aut permittente, aut etiam aliter quidpiam statuente Rmo Episcopo, Canonici alique Sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere sicque Rmi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

S. C. resp.:

ad I.: Negative;

ad II.: Negative;

ad III.: Consulat conjunctim utramque Constitutionem Divi Pii V. videlicet illam quae incipit: *Quod a nobis*; 7. Idus Julii 1568 — et etiam quae incipit: *Et proximo*; 12. Calendas Octobris 1571;

ad IV.: Negative.

Die 10. Jan. 1752.

(Anal. J. P. 1855 p. 1431.)

b) Utrum Ritus ecclesiastici in Rituali et Pontificali Romano et in solemni Sacramentorum administratione praescripti, pro libito, sine peccato mortali, possint aliter duci ac variari?

Vd. p. 321. 325.

Beatissime Pater!

Arduam sane provinciam suscipiendam proposuit Sanctitas Vestra, cum in prima Congregatione super Romano Concilio: Utrum ecclesiastici Ritus sine labe possint variari, examinandum ac decidendum mihi dignata fuit committere. Onus fortasse viribus impar duxissem, nisi Sanctitas Vestra, Angelici Praeceptoris Doctrinae splendore, rationem dubitandi removisset. Dicebat enim D. Thomam 3. part. quaest. 66. art. 10. manifeste docere Ritus ecclesiasticos triplicem praeseferre dignitatem. Primo enim excitant fidelium devotionem ac reverentiam. Secundo ad fidelium instructionem pertinent. Tertio demum utpote qui certis orationibus ac benedictionibus sunt instituti, daemones daemonumque fugant praestigia. Cui Sanctitatis Vestrae Doctrinae vix quid addi possit occurrit ad probandum ecclesiasticos Ritus in Pontificali et Rituali Romano et in solemni Sacramentorum administratione contentos, nullatenus propria cujusque auctoritate variari ac aliter duci posse. Si quis enim ecclesiasticos Ritus ita protraheret, ut vel impediret aut saltem illos variando non aequae fidelium devotionem excitaret, illos non erudiret ac daemonum vires infringeret, quomodo sine labe et quidem gravi, credi posset ejus culpa hoc accidisse? Satis superque, inquam, Sanctitas Vestra nullatenus, paucis licet, variari posse inconcussa comprobavit Doctrina; nihilominus, explicando potius sensus S. Vestrae, quod per se ipsum facere per tempus non licuit, quam de meo

aliquid addendo, ad propositi casus decisionem sic procedo.

Prima ergo ratio D. Thomae, scilicet, quod Ritus ecclesiastici excitant fidelium devotionem et reverentiam, confirmatur ab eodem s. Doctore 2. 2. quaest. 91. art. 1. et 2. Praemisso (quod in dubium scelus esset revocare) Deum a nobis esse laudandum, duplicem instituit quaestionem, quibus investigatur, primum: utrum Deus laudandus sit ore aut solum ad ejus cultum et honorem cordis vel mentis satis sit laus? Secundo: utrum ad hujusmodi laudem cantus sint assumendi; et utrumque solito Angelicae illustratae mentis splendore affirmative resolvit. At enim: „Necessaria est ad Dei cultum et honorem laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitantur in Deum; et sicut laus oris laudantis excitat in Deum affectus, ita cantus in Deum firmiorem excitant devotionem; idcirco salubriter fuit institutum in divinas laudes cantus assumi, ut animi infirmorum magis provocarentur ad devotionem: hinc est, quod sancta mater Ecclesia, divini spiritus perducta splendore, universis Christifidelibus, laudem oris, ecclesiasticis vero insuper certa lege cantibus persolvendas esse praescripsit; unde Augustinus dicit in 10. Confess.: Adducor cantandi consuetudinem approbari in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium infirmorum animus in affectum pietatis assurgat; et de ipso dicit in 9. Confess.: Flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantibus Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Unde B. Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi cantum instituit, ut Augustinus refert in 9. Confess. Unde Augustinus confitetur in 10. Confess.: omnes affectus spiritus nostri pro sua diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur; et eadem etiam

est ratio de audientibus, in quibus et si aliquando non intelligant, quae cantantur, intelligunt tamen, propter quod cantantur, scilicet ad laudem Dei et hoc sufficit ad devotionem excitandam. Idem corroborat 2. 2. quaest. 83. art. 12. ubi docet, Orationem communem debere esse vocalem juxta illud Psalmi 3.: Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum deprecatus sum; et hoc triplici ratione: Primo quidem, sunt verba s. Thomae, ad excitandum interiorum devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum, quia per exteriora signa sive vocum sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis et secundum apprehensionem; unde Augustinus dicit ad Proban. quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Secundo adjungitur vocalis oratio quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum, quod ex Deo habet, id est non solum mente sed etiam corpore; quod praecipue competit orationi secundum quod est satisfactoria; unde dicitur Oseae ultimo: Omnem aufer iniquitatem et accipe bonum et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Tertio adjungitur vocalis Oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud Ps. 15.: *Laetatum est cor meum et exultavit lingua mea.* Et quaest. 84. ad 2. docet ex Damasceno: Quia ex duplici natura compositi sumus; intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humilitate, ut videlicet per signa humilitatis, quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo, sicut genuflectimus nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum: pro-

sternimus autem nos, quasi profitemes, nos nihil esse ex nobis.

Secunda ratio D. Thomae est, quod Ritus ecclesiastici ad fidelium instructionem pertinent, quod confirmatur ex eodem 3. p. qu. 61. art. 1. et seq., ubi luce clarius ostendit ipsos etiam rudes per visibiles hos Ritus ac Caeremonias ad invisibilia nostrae fidei mysteria instrui ac erudiri; idque triplici ratione demonstrat. Primam ex conditione humanae naturae desumit, cujus proprium est, ut per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur. Pertinet enim ad Divinam Providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suae conditionis. Secundam rationem deducit ex statu hominis, qui peccando se subdit per affectum corporalibus rebus; ibi autem debet medicinale remedium hominis adhiberi, ubi patitur morbum; et ideo conveniens fuit, ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet; nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertiam demum desumit e studio actionis humanae, quae praecipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum, si totaliter a corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia, quibus salubriter exerceatur; sic igitur concludit Sanctus Doctor: „Per Sacramentorum institutionem (agit enim ibi de Sacramentis) homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia“; sic igitur cum S. Doctore concludenter inferam ego, per caeteros sacros ecclesiasticos Ritus ac Caeremonias homo convenienter suae naturae eruditur per sensibilia signa et actiones, quae in sacris Ritibus ac Caeremoniis continentur, non enim minus ista invisibilis mysterii visibilia sunt signa, ac sit Sacramentum signum rei sacrae in quantum est sanctificans homines.

Et hoc validius ex eodem Angelico Praeceptore comprobatur, qui 3. part. quaest. 1. art. 3. ad primum examinando quaestionem undequaque theologiam: „Utrum si non fuisset peccatum, Deus incarnatus fuisset“ assumit haec verba: „Dicendum ergo, quod omnes aliae causae, quae sunt assignatae, pertinent ad remedium peccati; si enim homo non peccasset, perfusus fuisset lumine divinae sapientiae et iustitiae rectitudine perfectus a Deo ad omnia necessaria cognoscenda et agenda; sed quia homo deserto Deo collapsus erat ad corporalia, conveniens fuit, ut Deus carne assumpta, etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet. Unde Augustinus dicit super illud Joannis primo „Verbum caro factum est“: Caro te obcoecaverat, caro te sanat, quoniam sic venit Christus ut de carne carnis vitia extingueret. Quam hominis caecitatem Sancta Mater Ecclesia cum esset contemplata, conveniens pariter duxit, fidei mysteria quae in sacris functionibus repraesentantur, sacris quibusdam certis ac invariabilibus Ritibus Caeremoniisque fidelibus exhibere et in conspectum adducere. Tertia ratio S. Doctoris est, quod Ritus ecclesiastici, qui certis orationibus ac benedictionibus sunt instituti, daemones daemonumque fugant praestigia, quod confirmat idem S. Doctor in Sacramento baptismatis, in cuius collatione conjurationes et exorcismi contra daemones debent praecedere. Licet enim baptismus non minus ac sollemnis conferat gratiam, ut tamen constantiorem baptizatus reciperet minoresque plagas in ipsum daemones possent infligere, Ritus adeo sanctum sacramentum conjurationum et exorcismorum, ipsammet solemnem collationem praecedere statutum fuit, ut docet S. Doctor 3. p. quaest. 71. art. 3. ex Augustino dicente in libro primo de symbolo: „Parvuli exsufflantur et exorcizantur,

ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quae decepit hominem. Unde Rabanus de Instit. Clericorum dicit, quod per salivam tipicam et Sacerdotis tactum sapientia et virtus divina salutem cathecumeni operatur, ut aperiantur ei nares ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum; olei vero inunctio significat aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones concludit D. Thomas. Quod profecto non obtineret, qui aut hujusmodi Ritus variaret aut omitteret, imo Sacrorum Ritus Ordinem immutans atque pervertens devotionem et fidelium instructionem, ex antedictis impediret viresque daemonum augeter potius quam deprimeret, ac per consequens, non levis se culpae reum constitueret, tanti boni propria pervacitate non operator, imo ingentis mali auctor ipse atque inventor.

Praeterquamquod Ritus ac Caeremonias veteris legis immutare ac in alium usum convertere scelus adeo grave reputabatur, ut in poenam peccati gravissimas Deus infligeret transgressoribus poenas. Habemus enim in lib. Levit. cap. X., Nadab. et Abiu coelesti ab igne fuisse consumptos, eo quod ignem non sacrum in Sacrificiis Deo oblati ausi fuerint adhibere: et 3. Regum, Ozam inopinata morte correptum, eo quod Arcam Dei propriis manibus (quod solum levitis erat permissum) tangere non dubitaverit, de quo Salvian. lib. 6. de Provid. „Ille levitis Dei ipso in Officio inofficiosus fuit, qui injusta praesumpserit.“ Quanto magis Ritus et Caeremoniae novae legis, quorum Ritus legis veteris erant tantum umbra et signum, obligabunt sub gravi, ac innovatores ultricem Dei manum juste contra ipsos in flagellis paratam poterunt formidare. Quae omnia procedunt loquendo de Ritu non substantiali, circa formam, mate-

riam, intentionem, de quo non est dubitatio et est alia quaestio, sed de accidentali pertinente ad solemnitatem juxta distinctionem traditam a D. Thoma 3. p. quaest. 68. ant. 10.

De hoc enim loquens S. Doctor in confirmationem praedictorum qu. 2. 2. 93. art. 1. ait, quod in exteriori cultu Dei potest contingere falsitas ex parte colentis et praecipue in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiae, et subdit: „Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quae non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum.“ Unde Ambrosius dicit: Indignus est, qui aliter celebrat mysterium, quam Christus tradidit.“ Et in responsione ad secundum aperte prohibetur pro suo libito mutare sacros Ritus ex discrimine inter tempus ante legem et novam Ecclesiam, quia pro illo tunc instruebantur interius homines de norma colendi Deum exteriori cultu, nunc vero per praecepta, quae etiam data fuerunt in lege scripta, ipsa autem transgredi pestiferum esse ac proinde mortale peccatum tradidit S. Doctor per haec verba: „Quod ante tempus legis justi per interiorum instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur. Postmodum vero (scilicet in veteri et nova lege) exterioribus praeceptis circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est; et propter hoc Glossa etiam dicit, quod superstitio est quando traditioni humanae nomen applicatur. Jure autem optimo, inquit Glossa quod superstitio est, quia dicit D. Thomas 2. 2. quaest. 92. art. 2. cor.“ Diversificantur superstitutionis species. Primo quidem ex parte objecti. Potest enim divinus cultus exhiberi

vel cui exhibendus est, scilicet Deo vero, modo tamen indebito; et haec est prima superstitutionis species; vel ei, cui non debet exhiberi, scilicet cuicumque creaturae, et hoc est aliud superstitutionis genus quod in multas species dividitur secundum diversos fines Divini Cultus. Ordinatur enim primo divinus cultus ad reverentiam Deo exhibendam et secundum hoc prima species hujus generis est idololatria, quae divinam reverentiam indebite exhibet creaturae. Secundo ordinatur ad hoc, quod homo instruitur a Deo, quem colit et ad hoc pertinet superstitio divinatoria, quae daemones consulit per aliqua pacta cum eis inita vel lacita vel expressa. Tertio ordinatur Divinus Cultus ad quamdam directionem humanorum actuum secundum instituta Dei, qui colitur; et ad hoc pertinet superstitio quarundam observationum.

Haec, Bme Pater, sufficerent procul dubio pro statuenda inconcussa conclusione, Ritus ecclesiasticos sine gravi culpa immutari non posse, placet tamen illam aliis adhuc fundamentis corroborare addendo Sacros Ritus ac Caeremonias originem a s. Apostolis traxisse illaque a SS. Pontificibus disposita et ordinata fuisse tunc profecto temporis, cum Dominus Noster Petro et in eadem S. Sede successoribus dixit: Pascite oves meas, quod profecto nunquam melius paratum fuit, nisi cum Sacri Ritus ad Dei cultum et honorem fuerunt instituti. Quomodo enim ordinatus Deo cultus praestari posset, si nullis legibus concluderetur ac juxta cujusque sensum et arbitrium posset exhiberi. Hoc idem in sua maxima Biblioth. agnovit Rocabert. mihi p. 142 per haec verba: Nam clare constat omnia recto Ordine in Romana Ecclesia servari tam quae primi Ordinis divini quam quae secundi sunt, sive traditiones sive Caeremoniae illae sint. Qua-